

# EPHEMERIDES CARMELITICAE

Annus XII - 1961 - Fasc. 2

---

## DE DELEGABILITATE POTESTATIS ORDINIS (II) \*

### DOCTRINA CANONISTARUM PRAECODICIALIUM

#### Praenotamen de ordine expositionis

Praescripta generalia circa delegabilitatem potestatis ordinis in *Corpore Iuris Canonici* non inveniuntur. Quadruplex tamen ibidem invenitur praescriptum a quo canonistae antiqui occasionem sumpserunt quaedam circa hanc quaestionem hinc inde exponendi. Verum est nullum inter auctores antiquos quaestionem undequaque examinasse. Hoc tamen non obstante, aliqualem synthesim doctrinalem hac de re omnibus communem ex nostra investigatione texere potuimus; cuius momentum ad quaestiones de potestate ordinis delegata recte solvendas maximum esse autumamus, quamque hic succincte exponere conabimur.

Auctores praecodiciales vel leviter perscrutanti duo principia omnibus communia facile apparent: primum *negativum*, quo praelatis Papa inferioribus denegatur omnis facultas potestatem ordinis aliis inferioris gradus clericis committendi, alterum vero *positivum*, iuxta quod Summo Pontifici hac in re speciales tribuendae sunt facultates, et quidem ita exclusive ut, praeter ritum ordinationis, delegatio pontificia sit unicus modus potestatem ordinis conferendi.

Ordo ergo expositionis erit sequens:

Praemissis textibus ex iure veteri qui ad rem faciunt, doctrinam auctorum deinde triplici sub titulo tum analytice tum synthetice enucleare satagemus, exponendo: 1) Principium generale de non-delegabilitate potestatis ordinis; 2) Doctrinam de facultate delegandi qua gaudet Summus Pontifex; 3) Doctrinam de vi iuridica consuetudinis ad praescri-

---

\* Cfr. *De delegabilitate potestatis ordinis*, in *Ephemerides Carmeliticae* 12 (1961) pp. 2-31.

bendam potestatem ordinis. Haec enim ultima quaestio ab auctoribus antiquis examinatur ad ostendendum delegationem pontificiam non posse suppleri nequidem per consuetudinem centenariam vel immemoriam.

## A — TEXTUS E CORPORE IURIS CANONICI

### 1) *Ex Decreto Gratiani*

In Decreto Gratiani nihil explicitè de delegabilitate potestatis ordinis habetur. Duo tamen in eo continentur textus qui occasionem auctoribus praebuerunt de hac quaestione disserendi. Agitur de duobus textibus inter se saltem apparenter contrariis; unus (caput « *pervenit quoque* » desumptus ex Epistola Gregorii I ad Episcopum Caleritanum, in qua Papa permittit presbyteris caleritanis ut, absente Episcopo, chrismatis sacramentum conferre possint; alter vero (caput « *manus quoque* », de consecratione) ex quadam Epistola Eusebii Papae ad Episcopos Tusciae et Campaniae excerptus, in qua Summus Pontifex ministerium Confirmationis ad solos Episcopos pertinere categorice asserit. Ad praedicta capita concilianda auctores plura exponunt circa illam potestatem confirmandi quam Summus Pontifex simplici presbytero delegare potest. En textus utriusque capitis :

a) *Caput « pervenit »* : « Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum nostrae Ecclesiae fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus ». <sup>1</sup>

b) *Caput « Manus quoque » de consecratione* : « Manus quoque impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab aliis quam qui eorum tenent locum, umquam perfici potest aut fieri debet. Nam si aliter praesumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter ecclesiastica umquam reputabitur sacramenta ». <sup>2</sup>

<sup>1</sup> c. 1, D. XCV.

<sup>2</sup> c. 4, D. V, *de consecratione*.

## 2) *Ex Decretalibus Gregorii IX*

In Decretalibus duo quoque habentur capita quae quamdam relationem cum nostra quaestione habent: caput « *Quanto* » de *consuetudine* et caput « *Aqua* », de *consecratione ecclesiae*. In priore capite, quod ex quadam Epistola Innocentii III desumitur, negatur vis consuetudinis ad tribuendam simplicibus presbyteris potestatem confirmandi; in altero vero, quod ex Epistola ipsius Gregorii IX ad Episcopum Astoricensem transcribitur, praescriptum continetur quod propius ad indolem canonis 210 accedit. En iterum textus utriusque capitis:

a) *Caput « Quanto, de consuetudine »*: « Quanto de benignitate Sedis Apostolicae locum obtines celsiorem, tanto tibi est sollicitius procurandum, ut te talem exhibeas in agendis, non declinans ad dexteram vel ad sinistram, quod non minus re, quam nomine vices apostolicas gerere videaris. Pervenit sane ad audientiam nostram, quod quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea sacramenta praesumunt fidelibus exhibere, quae ab Apostolorum tempore rite fuerunt solis pontificibus reservata, ut est sacramentum confirmationis, quod chrismando renatos soli debent episcopi per manus impositionem conferre, ad excusandas excusationes in peccatis et sui erroris fomentum solam consuetudinem praetendentes, quum diuturnitas temporis peccata non minuat sed augmentat, quae tanto graviora existunt, quanto infelicem animam diutius detinent alligatam. Volentes igitur haec et alia, quae oculos divinae maiestatis offendunt, de agro dominico extirpare, Discretionem tuam per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatenus omnibus latinis presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas, ne talia de caetero sua temeritate praesumant, quae licet non sint a fidelibus contemnenda, tutius tamen sine periculo ex necessitate quae legem non habet, omittere, quam ut ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate, quae lege damnatur non sine gravi periculo inaniter conferantur quum umbra quaedam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu ».<sup>3</sup>

b) *Caput « Aqua », de consecratione Ecclesiae*: « Aqua per episcopum benedicta ecclesiam reconciliari posse per alium episcopum non negamus, per sacerdotes simplices hoc fieri de cetero prohibentes, non obstante consuetudine Provinciae Bracharensis, quae dicenda est potius corruptela; quia licet episcopus committere valeat quae iurisdictionis existunt, quae ordinis ta-

<sup>3</sup> c. 4, X, I, 4.

men episcopalis sunt non potest inferioris gradus clericis demandare. Quod autem mandantibus episcopis super reconciliationem factum est hactenus per eosdem, misericorditer toleramus». <sup>4</sup>

## B — PRINCIPIUM GENERALE DE NON-DELEGABILITATE POTESTATIS ORDINIS

Doctrinam auctorum praecodicialium circa hoc primum punctum duplici gressu exponemus, praecipuos auctores imprimis ordine chronologico examinando et eorum doctrinam deinde modo synthetico proponendo.

### 1) *Doctrina auctorum analytice exponitur*

Initium sumimus a duplici *Glossa Ordinaria*, in *Decretum* scilicet et in *Decretales*, prima a JOANNE TEUTONICO circa annum 1215 confecta, altera a BERNARDO PARMENSI DE BOTONE († 1262) conscripta. Peculiarrem enim abs dubio in subsequentes auctores *Glossa Ordinaria* influxum exercuit, et saepe ad eorum sententias corroborandas ab eisdem invocatur.

*Glossa ordinaria in Decretum*, ad caput « pervenit », <sup>5</sup> obiter tangit quaestionem de delegabilitate potestatis ordinis. Admisso quod Papa potest ministerium Confirmationis etiam simplicibus presbyteris committere, ita prosequitur Glossator : « Item quaeritur numquid Episcopus demandare potest ea quae sunt Ordinis Episcopalis? » Cui interrogationi ita respondet : « Sic, sed ea non potest demandare nisi Episcopo. Ea vero quae iurisdictionis sunt potest etiam presbytero demandare ». Hic clare apparet magna differentia quoad delegabilitatem inter ordinis potestatem et illam iurisdictionis. Iurisdictio ab Episcopo etiam clericis inferioris gradus committi potest; sed non ita ordinis potestas, cuius delegatio fieri non potest nisi alii episcopo seu alii in eodem ordinis gradu constituto. Unde patet quod proprie loquendo Episcopus non potest delegare potestatem ordinis, sed tantum licentiam dare ut illa potestas ab alio Episcopo iam habita possit licite exerceri vel in alieno territorio vel erga personas sibi non subditas.

*Glossa ordinaria in Decretales Gregorii IX* bis quaestionem de delegatione potestatis ordinis excitat, commentando scilicet duo capita quae supra transcripsimus.

<sup>4</sup> c. 9, X, III, 40.

<sup>5</sup> c. 1, D. XCV.

In explicatione capituli « Quanto » de consuetudine <sup>6</sup> asserit presbyteros latinos apud Constantinopolim, de quibus Innocentius III ad Vicarium suum scribebat, confirmationem invalide contulisse « *quia hoc ex delegatione Papae non faciebant* ». Ad casum applicandum esse putat principium :

« pro dato non habetur quod ab illo donatur, qui de iure donare non potest... Episcopi vero licet ipsi possint chrismare, non possunt aliis inferioribus demandare, qui hoc ex officio facere non possunt ».

Illa sola delegatio, iuxta Glossam, ab Episcopis fieri potest qua actus ordinis episcopalis alteri Episcopo committitur : « *alii Episcopi vel Archiepiscopi possunt hoc facere in diocesi alterius Episcopi de ipsius licentia* ». Proprio in hoc habetur magna differentia inter ordinis et iurisdictionis potestatem :

« Episcopi enim ea quae sunt iurisdictionis, ut puta, iudicare, excommunicare et similia committere possunt aliis etiam non habentibus iurisdictionem, ea vero quae sunt ordinis episcopalis et auctoritatis, non possunt demandare aut etiam delegare aliis qui sunt inferioris gradus ».

In glossa ad caput « Aqua » <sup>7</sup> haec doctrina magis evolvitur. Melius determinatur imprimis quinam actus sint iurisdictionis, quinam vero ad ordinis potestatem pertineant. Ad verbum « *iurisdictionis* » haec scribit Glossator :

« puta iudicare, cognoscere de causis, instituere beneficia, beneficia conferre et omnia alia quae assequutus est Episcopus in confirmatione... Haec omnia committere potest et delegare unicuique maiori vel minori. Sed ea quae sunt Episcopalis Ordinis demandare non potest inferioribus, puta clericos ordinare, virgines consecrare, chrisma conficere et consimilia quae ministerium consecrationis desiderant ».

Posita hac distinctione inter ea quae sunt iurisdictionis et ea « *quae ministerium consecrationis desiderant* », Glossator ulterius quaerit quaenam sit ratio « quare illa quae sunt iurisdictionis possit (Episcopus) committi-

<sup>6</sup> c. 4, X, I, 4.

<sup>7</sup> c. 9, X, III, 40.

tere clericis inferioris gradus et non illa quae sunt ordinis demandare? »  
Cui quaesito respondet :

« Haec potest esse ratio. Iurisdictio sola voluntate et verbo committitur, sive delegata fuerit sive ordinaria, et revocatur... sed collatio sacramentorum non confertur sola voluntate vel verbo, immo facto opus est; quia necessaria est visibilis unctio et exterior, quae est signum interioris unctionis in corde... quae perpetua est et amitti non potest, licet exsequutio quandoque suspendatur. Et ita patet quod non possunt taliter demandari, sicut iurisdictio, vel revocari ».

Quoad delegationem vero quae ab uno Episcopo alteri fieri potest sequentem adiungit explicationem :

« Sed unus Episcopus alii Episcopo potest hoc demandare et per huiusmodi demandationem nihil ei committit, cum ipse Episcopus habeat ea quae ministerium consecrationis desiderant et ei deest tantum auctoritas, quia in alienam messem falcem mittere non debet nisi de voluntate et mandato illius cuius est diocesis ».

In citato textu verba « *nihil ei committit* » manifesto intelligenda sunt de ipsa ordinis potestate; nam per demandationem in casu aliquid certe Episcopo delegato confertur, facultas, scilicet, potestatem ordinis quam habet legitime in territorio alieno exercendi.

Doctrina glossae circa delegationem potestatis ordinis ad tria reduci potest: 1) Ad modum principii generalis statuit Episcopum non posse clerico inferioris gradus committere ea quae sunt ordinis episcopalis. 2) Ratio huius principii repetenda est in indole diversa utriusque potestatis, ordinis, scilicet, et iurisdictionis; iurisdictio enim « confertur sola voluntate et verbo », ordinis vero episcopalis potestas per quandam consecrationem. 3) Episcopus tamen potest ea quae sunt ordinis committere alii Episcopo. Sed tunc non habetur delegatio proprie dicta, quia per talem demandationem nihil (potestatis ordinis) alteri episcopo committitur.

LAURENTIUS HISPANUS, celeberrimus professor bononiensis, qui circa annum 1210 apparatus glossarum in Decretum compilavit, quaestionem de delegabilitate potestatis ordinis episcopalis hoc modo proponit :

« Numquid sacramentum quod solum episcopus conferre potest, posset presbyter minor conferre licentia episcopi? ».

Et responsum dat negativum :

« Non videtur, quia ea quae ordini eposcopali adhaerent non possunt minori delegari ». <sup>8</sup>

BERNARDUS COMPOSTELLANUS († 1260), qui et ipse hispanus fuit et Bononiae ius docuit, in commentario ad caput « *Quanto* » asserit auctores concordare quod presbyter ex delegatione solius episcopi invalide sacramentum Confirmationis conferret. <sup>9</sup>

BERNARDUS DE MONTEMIRATO, dictus ABBAS ANTIQUUS († 1265), in opere « *Lectura et Apparatus in Decretales* » potestatem ordinis de illis rebus esse affirmat quae inhaerent ossibus episcopi et propterea delegari non posse :

« Non reconciliatur ecclesia consecrata, scribit, commentando caput « *Aqua* », per simplicem sacerdotem, quamvis Episcopus aquam solemniter benedicat; sed per alium episcopum bene potest. Et intendit hoc dicere decretalis quod licet ea quae sunt iurisdictionis possit episcopis inferioribus demandare, non tamen ea quae ossibus episcoporum inhaerent ». <sup>10</sup>

HEINRICUS DE SEGUSIO, magis notus sub nomine HOSTIENSIS († 1271), in suo opere *Summa Aurea*, principium de non delegabilitate potestatis ordinis episcopalis hoc modo enunciat : « Ea quae sunt ordinis, sive dignitatis, minori se delegare non potest Episcopus ». <sup>11</sup>

GUIDO DE BAYSIO seu ARCHIDIACONUS BONONIENSIS, auctor celebris *Rosarii* seu *Commentarii* in Decretum, qui scripsit circa annum 1300, ad illustrandam differentiam inter ordinis et iurisdictionis potestatem quantum ad delegationem, fere iisdem utitur verbis ac Abbas Antiquus :

« Sed quaero quare ea quae sunt iurisdictionis committere potest episcopus inferioribus, non ea quae sunt ordinis. Respondeo quia quae sunt ordinis quasi ossibus adhaerent ut separari non possint, sicut nec anima a corpore vivo ». <sup>12</sup>

<sup>8</sup> Apud GILLMANN, F., *Zur Lehre der Scholastik von Spender der Firmung und des Weihesacramentis* (Paderborn 1920), p. 30, nota 1.

<sup>9</sup> « Omnes enim concordant quod ex delegatione episcoporum hoc non possunt ». *Super I librum Decretalium*, c. 4, X, I, 4 (in *Perillustrium Doctorum in Libris Decretalium Aurei Commentarii*. Venetiis 1588).

<sup>10</sup> c. 9, X, III, 40.

<sup>11</sup> Lib. III, col. 1175.

<sup>12</sup> c. 1, D, XCV.

PETRUS DE ANCHARANO († 1406), in commentario ad caput « Aqua », verbis aliquatenus ambiguis utitur : « Unde colligite », ita ipse, « quod *facilius* transfertur in alterum exercitium iurisdictionis quam exercitium illorum quae sunt ordinis episcopalis ». <sup>13</sup> Non est valde perspicuum quid significant verba « *facilius* » et « *exercitium* » in textu. Auctor videtur simpliciter negare delegabilitatem ipsius potestatis ordinis; nam e contra admittit quod « potest demandari *alteri episcopo* reconciliatio (ecclesiae), similiter ordinatio clericorum et consecratio episcoporum ». <sup>14</sup>

Apud ANTONIUM DE BUTRIO († 1408), discipulum PETRI DE ANCHARANO in schola bononiensi, quaestio de delegabilitate potestatis ordinis modo magis generali proponitur. Auctores hucusque examinati considerationem ad potestatem ordinis episcopalis restrinxerunt. Antonius vero quaestionem ponit etiam circa potestatem ordinis presbyteralis. Imo generali modo quaerit :

« Numquid potest inferior a Papa alteri delegare quae sunt suae potestatis, ut presbyter quae sunt ordinis presbyteralis et episcopus quae sunt ordinis episcopalis? ».

Ad quod ita distinguendo respondet :

« Aut vult tribuere alias non habenti, et non potest; aut vult tribuere alias habenti, non dando potestatem sed ipsam ampliando ad locum suum, et potest. Unde presbyter presbyterum, et episcopus episcopum potest alterum invitare ad illa quae spectant ad eius officium in sua diocesi vel parochia ». <sup>15</sup>

Hanc distinctionem iam vidimus in Glossa et apud alios auctores, distinctionem nempe inter delegationem proprie dictam potestatis ordinis et delegationem latiori sensu acceptam seu licentiam potestatem ordinis intra limites iurisdictionis illius qui delegat exercendi. Aliis verbis, si sumatur verbum *delegatio* pro delegatione ipsius potestatis ordinis, potestas ordinis non potest dici delegabilis; si vero sumatur pro concessione facultatis ordinem susceptum legitime exercendi, ordinis potestas delegabilis dici debet, sicut et ipse Antonius ad caput « Aqua » scribit :

« Nota quod ea quae sunt ordinis episcopalis sunt alteri delegabilia demum in ordine episcopali existentibus ». <sup>16</sup>

<sup>13</sup> *In Quinque Libros Decretalium Facundissima Commentaria* (Bononiae 1581), c. 9, X, III, 40.

<sup>14</sup> *ibid.*

<sup>15</sup> *Lectura super Quinque Libros Decretalium* (Venetiis 1612), c. 4, X, I, 4.

<sup>16</sup> c. 9, X, III, 40.



Ad significandam delegationem proprie dictam potestatis ordinis ANTONIUS utitur verbo « *habilitare* » :

« Quandoque presbyter causat potestatem ex delegatione episcopi, et omnes fatentur... quod non possit talia presbyter quia non potest episcopus eum ad hoc *habilitare* ». <sup>17</sup>

CARDINALIS FRANCISCUS DE ZABARELLIS († 1417) quaestionem ponit circa potestatem dumtaxat confirmandi, quaerens scilicet utrum Episcopus possit hoc ministerium alteri non episcopo committere. In responso tamen appellat ad principium generale in Glossa propositum, iuxta quod ea sunt ordinis episcopalis clerico inferioris gradus demandari non possunt. <sup>18</sup>

NICOLAUS DE TUDESCHIS, dictus PANORMITANUS, magni nominis canonicus († 1435), nostram quaestionem fusius tractat. In commentario ad caput « *Quanto* » enumerat imprimis quaedam quae sunt propria ordinis episcopalis :

« Nota quod quaedam sunt sacramenta reservata solis episcopis, quae inferioribus non licet attingere, uti chrismare, ordines sacros conferre, virgines benedicere, ecclesias consecrare et similia ». <sup>19</sup>

Quaerit deinde « Numquid ista sacramenta reservata solis pontificibus possunt delegari inferioribus et per quem? ». Cui ita respondet :

« Ad primam quaestionem ampliando verba Glossae est concludendum quod per inferiorem praelatum a Papa non potest fieri ista delegatio non pontificibus, quia non possunt isti disponere contra statutum et ordinem Ecclesiae. Vide Glossam in caput « *pervenit* » XCV dist., quae ponit ibi notabilem regulam, quod nihil habet episcopus quod sit iurisdictionis quod non sit delegabile, secus in competentibus ratione ordinis episcopalis ». <sup>20</sup>

In citato textu specialiter notanda sunt verba « *quia non possunt isti disponere contra statutum et ordinem Ecclesiae* ». Dant enim, iuxta Panormitanum, rationem profundam quare ordinis potestas delegari nequeat.

<sup>17</sup> *ibid.*

<sup>18</sup> *Super I Librum Decretalium* (Venetiis 1602), c. 4, X, I, 4.

<sup>19</sup> *Super Quinque Libros Decretalium* (Venetiis 1588), c. 4, X, I, 4.

<sup>20</sup> *ibid.*

Agitur enim de potestate quae clericis competit ratione gradus quem occupant in hierarchia ordinis. Si vero singulis liceret aliis indiscriminatim committere ea quae ratione huiusmodi gradus ipsis competunt, ordo hierarchicus funditus subverteretur.

In commentario ad caput «Aqua» quaestionem iterum excitat et ad omnimodam indelegabilitatem potestatis ordinis concludit. En textus commentarii :

« In provincia Bracharensi quando ecclesia vel per sanguinis effusionem vel alio modo fuerit violata reconciliabatur per simplices sacerdotes. Pervenit hoc ad notitiam Papae ; unde super hoc scribit Episcopo Astoricensi dicens quod per alium episcopum quam per proprium ecclesia potest reconciliari aqua per episcopum benedicta et quod non per simplices sacerdotes de caetero ecclesiae reconcilientur, non obstante consuetudine provinciae Bracharensis, quae dicenda est potius corruptela, quia licet episcopus committere possit quae iurisdictionis sunt inferioribus clericis, tamen ea quae sunt episcopalis ordinis non potest iisdem clericis inferioribus demandare... Nota bonam regulam in materia delegationis, quod ea quae sunt ordinis episcopalis non possunt committi non episcopo. Multa enim sunt quae non possunt fieri nisi per episcopos, tamquam dependentia ab ordine episcopali, ut consecratio virginum, ordinatio clericorum, consecratio ecclesiarum et similia... Ea vero quae sunt iurisdictionis demandari possunt, etiam non episcopis. Ex quo infertur quod potestas excommunicandi potest committi etiam non episcopis. Et idem de omnibus quae episcopus consequitur in sola confirmatione... Vide glossam singularem quam tenebis menti in cap. «pervenit», 95 dist., quae dicit quod nihil habet episcopus quod sit meri imperii quod non sit delegabile. Sed distingue prout habetur hic in textu. Nam ea quae sunt ordinis non debent committi nisi habenti illum ordinem ».<sup>21</sup>

Hucusque Panormitanus locutus est de sola potestate ordinis episcopalis. Principium tamen in ultima linea textus est indolis generalis «*quae sunt ordinis non debent committi nisi habenti illum ordinem*», et valet iuxta ipsum de omni potestate ordinis. Nam ita prosequitur :

« Ex hoc posses facere aliam regulam, quod ea quae sunt alicuius ordinis non possunt delegari alicui non habenti illum ordinem ; et sic non est speciale in episcopo... ».<sup>22</sup>

<sup>21</sup> *Op. cit.* c. 9, X, III, 40.

<sup>22</sup> *ibid.*

Ratio huius indelegabilitatis a Panormitano tunc adsignatur :

« Nam de iuris natura est quod quis exerceat ordinem quem recepit. Nam potestas ministrandi ea quae sunt ordinis non dependet ex nuda voluntate superioris, sed consistit in certa forma tradita per Ecclesiam ; et ista est ratio dicendi in textu. Nam ea quae sunt iurisdictionis consistunt in nudo exercitio seu voluntate ; et ideo possunt delegari cuicumque ; secus in his quae sunt ordinis », <sup>23</sup>

Mens Panormitani prout ex duplici textu citato eruitur substantialiter cum auctoribus hucusque examinatis concordat. Cum illis admittit delegabilitatem, si delegatio sumatur ad significandam facultatem alicui clerico factam exercendi potestatem ordinis iam aliunde habitam. Si vero quaestio ponatur de delegabilitate ipsius potestatis ordinis, tunc ad modum principii negative respondet : « ea quae sunt alicuius ordinis non possunt delegari alicui non habenti illum ordinem ». <sup>24</sup> Ratio huius principii duplex adsignatur : 1) Secus ordo hierarchicus in Ecclesia stabilitus subverteretur, et 2) « de iuris natura est quod quis exerceat ordinem quem recepit. Nam potestas ministrandi ea quae sunt ordinis non dependet ex nuda voluntate Superioris, sed consistit in certa forma tradita per Ecclesiam ». <sup>25</sup>

DOMINICUS A S. GEMINIANO († 1436) rationem quaerit « quare ea quae sunt iurisdictionis potest (episcopus) committere inferiori, non ea quae sunt ordinis? » et verbis utens Abbatis Antiqui respondet « quia quasi ossibus adhaerent (ea quae sunt ordinis), ut separari non possint ». <sup>26</sup>

GUIDUS PAPA († 1487), quamvis alia ac praecedentes utatur terminologia, cum illis quoad doctrinam concordat. Pariter ac plures antiqui ordinem episcopalem designat nomine « dignitatis episcopalis ».

« Colligatis, scribit, quod sacramentalia competentia ratione pontificalis dignitatis non possunt delegari nisi habenti pontificalem dignitatem ». <sup>27</sup>

<sup>23</sup> ibid.

<sup>24</sup> ibid.

<sup>25</sup> ibid.

<sup>26</sup> *Super Decretorum Volumina Commentaria* (Venetiis 1578) c. 1, D. XCV.

<sup>27</sup> *In Decretales Commentaria*, c. 4, X, I, 4 (in *Perillustrium Doctorum in Libris Decretalium Aurei Commentarii*. Venetiis 1588).

Delegatio ergo quae iuxta illum fieri non potest est illa facta clerico inferioris gradus; sed nihil impedit quominus actus ordinis episcopalis committantur alteri episcopo seu « habenti pontificalem dignitatem ».

EMMANUEL GONZÁLEZ TÉLLEZ († 1649) cum praecedentibus concordat, circa potestatem reconciliandi ecclesias exponens :

« Presbyteri ergo non possunt ecclesias consecrare aut reconciliare ratione proprii ordinis et officii, nec etiam ratione delegationis, quia licet episcopus possit committere et delegare ea quae sunt iurisdictionis... non tamen ea quae sunt ordinis, ut est reconciliatio ecclesiae consecratae ».

Et adiungit « *auctores communiter* » ex hoc capite deducere « Episcopum non posse committere simplici presbytero ea quae sunt ordinis.<sup>28</sup>

Ad eandem decretalem AUGUSTINUS BARBOSA († 1649) eandem exponit doctrinam :

« Ecclesiam pollutam non potest simplex sacerdos etiam de mandato episcopi reconciliare cum aqua per episcopum benedicta, sed debet ipsemet Episcopus ; quia licet possit committere quae sunt iurisdictionis, non potest ea quae sunt ordinis ».<sup>29</sup>

PROSPER FAGNANUS († 1678), auctor notissimi et valde laudati operis, *Ius canonicum seu Commentaria absolutissima in V libros decretalium*, in commentario ad caput « Aqua », quasi compendium faciens eorum quae a canonistis suis praedecessoribus hac de re traduntur, ita scribit :

« Nota insignem regulam in materia delegationis, videlicet, ea quae iurisdictionis existunt etiam Minoribus Clericis ab Episcopo demandari posse, ut cognoscere de causis, iudicare, instituere, beneficia conferre et omnia alia quae assecutus est episcopus in confirmatione... *Nihil enim habet Episcopus quod sit meri imperii quod non sit delegabile*... Ea vero quae sunt ordinis episcopalis committi non possunt Clericis inferioris gradus, id est non Episcopis, ut consecratio virginum, Ordinatio clericorum, consecratio ecclesiarum et similia ».

<sup>28</sup> *Commentaria Perpetua in singulos Textus V Librorum Decretalium Gregorii IX* (Lugduni 1715), c. 9, X, III, 40.

<sup>29</sup> *Collectanea Doctorum tam veterum quam recentiorum in Jus Pontificium Universum* (Lugduni 1688), c. 9, X, III, 40.

Fagnanus deinde citat Glossam et alios auctores qui « *hanc regulam* » ponunt. Similem regulam ab auctoribus poni asserit quoad consuetudinem hac in re : « id est consuetudinem posse plurimum in his quae sunt iurisdictionis, sed in his quae sunt ordinis nihil posse ».

Quoad rationem differentiae inter iurisdictionem et potestatem ordinis Fagnanus ita exponit auctorum sententias :

« Rationem vero differentiae cur ea quae sunt iurisdictionis possint inferioribus delegari ab Episcopo non autem quae sunt ordinis optime assignat Glossa... quia scilicet iurisdictionis sola voluntate et verbo committitur, sive delegata fuerit sive ordinaria, et revocatur... Collatio vero sacramentorum non confertur sola voluntate vel verbo, imo facto opus est, quia necessaria est visibilis unctio et exterior quae est signum interioris unctio in corde... quae perpetua est et amitti non potest, licet executio quandoque suspendatur... Et hoc innuit Abbas Antiquus... dum dicit : « licet ea quae sunt iurisdictionis possit Episcopus inferioribus demandare, non tamen ea quae ossibus Episcoporum inhaerent, quae scilicet non sola voluntate aut verbo, sed per consecrationem conferuntur ; et Hostiensis dum reddit rationem huius differentiae, quia ordo inquit non per commissionem sed per manus impositionem transfertur. Hoc ipsum docuit Sanctus Thomas in 2. 2. q. 39, dicens potestatem Sacramentalem esse quae per aliquam consecrationem confertur. Et hanc remanere in homine qui eam per consecrationem est adeptus quamdiu vivit ; potestatem vero iurisdictionalem esse quae ex simplici inunctione hominis confertur ; et ideo non immobiliter adhaeret ». <sup>30</sup>

Quoad potestatem reconciliandi ecclesiam consecratam LUDOVICUS ENGEL († 1679) in principio de non delegabilitate eorum quae sunt ordinis fundatus, eam dicit non posse ab Episcopo simplici sacerdote delegari :

« Delegare autem reconciliationem alicui Sacerdoti simplici Episcopus non posset, quia est actus ordinis Episcopalis, nisi fortassis is sacerdos alias ex privilegio apostolico esset habitatus ad faciendam talem delegationem, sicut superioribus Fratrum Minorum a Leone X, tale privilegium concessum refertur, ut possint suas ecclesias reconciliare ». <sup>31</sup>

<sup>30</sup> *Jus Canonikum seu Commentaria in Quinque Libros Decretalium* (Coloniae Allobrogum 1759), c. 9, X, III, 40.

<sup>31</sup> *Collegium Universi Juris Canonici* (Venetiis 1733), lib. III, tit. 40, pagr. II, n. 25.

Ad idem appellat principium HENRICUS PIRHING († 1690) ut probet potestatem consecrandi ecclesiam non posse presbyteris ab Episcopo committi :

« Nec potest Episcopus delegare potestatem consecrandi ecclesias alteri simplici presbytero, sive non-Episcopo, cum ea potestas non sit iurisdictionis sed ordinis episcopalis, ideoque Clericis non episcopis delegari non potest ».

Convenit quoque cum auctoribus iam citatis in assignanda ratione huius differentiae inter iurisdictionem et potestatem ordinis :

« Ratio differentiae est, quia Ordo non per concessionem seu nudam voluntatem sed per manus impositionem seu consecrationem confertur... adeoque factio opus est, quia necessaria est exterior unctio vel alia actio ».<sup>32</sup>

Ad quaestionem : cuinam competit ius consecrandi ecclesias? ANACLETUS REIFFENSTUEL († 1703) ita respondet :

« Loquendo de iure, solus episcopus loci rite consecrare potest ecclesiam... quia licet etiam alterius Diocesis episcopus ecclesiam valide consecrare valeat, tamen id rite seu licite non facit ».

Adiungit vero quod huiusmodi actus potest ab Episcopo alteri episcopo committi, non vero presbytero.

« Quia quamvis non possit Episcopus munus consecrandi ecclesiam committere alicui Presbytero, poterit tamen idem committere alteri Episcopo... quia consecrare ecclesiam est potestas ordinis episcopalis, quae non nisi Episcopo committi valet ».<sup>33</sup>

PETRUS LEURENIUS († 1723) quoque negat consecrationem ecclesiae alteri non episcopo delegari posse « cum non sit iurisdictionis sed ordinis episcopalis ».<sup>34</sup>

SCHMALGRUEBER († 1735) principium de non delegabilitate potestatis ordinis enunciat, ad duplex solvendum dubium, primum circa potesta-

<sup>32</sup> *Jus Canonicum in Quinque Libros Decretalium Distributum* (Venetiis 1759), lib. III, tit. 40, par. III.

<sup>33</sup> *Jus Canonicum Universum* (Maceratae 1752), lib. III, tit. 40, paragr. II, n. 3.

<sup>34</sup> *Forum Ecclesiasticum* (Venetiis 1729), III, tit. 40, Q. 954.

tem consecrandi ecclesias, alterum circa potestatem consecrandi altaria,  
Quod primum ita scribit :

« Dubium est an consecratio ecclesiae ab episcopo committi simplici sacerdoti possit?... Retinenda omnino est sententia negativa... Ratio est *quia consecratio ecclesiae est actus ordinis episcopalis*... iste autem simplici sacerdoti ab episcopo delegari nequit ». Quoad secundum vero : « A quo consecranda altaria sint? Resp. De iure communi consecranda sunt ab episcopo, non a simplici sacerdote... estque hoc ita verum, ut consecratio altaris simplici sacerdoti ab alio quam a summo pontifice committi nequeat ; *quia est actus ordinis episcopalis* ».<sup>35</sup>

BENEDICTUS XIV († 1758) quaestionem nostram modo generali non tractat. Agendo tamen de potestate confirmandi quaedam exponit quae delegationem potestatis ordinis episcopalis in genere spectant. Doctrinam auctorum quod ipse episcopus non possit presbyteris committere ministerium confirmationis et ipse tenet. Illi tamen non placet ratio ab auctoribus adducta, quod scilicet confirmare est actus ordinis,

« nam quamvis confirmare sit actus Ordinis Episcopalis, cuius firmitas et validitas a Pontificis nutu non pendet, delegare tamen simplici Presbytero potestatem exercendi huiusmodi actum, potius ad iurisdictionem quam ad Ordinem pertinet ».<sup>36</sup>

Duplicem ergo quaestionem circa potestatem confirmandi ille distinguit : 1) Utrum de facto episcopus possit talem potestatem simplici presbytero committere? et 2) Utrum in hypothese quod Summus Pontifex facultatem delegandi hanc potestatem sibi non reservasset episcopus posset illam valide etiam presbyteris committere?

Ad primam ita respondet :

« ... omnibus in confesso est, irritam nunc fore Confirmationem a simplici Presbytero latino, ex sola Episcopi delegatione collatam, quia Sedes Apostolica id iuris sibi unice reservavit... Posita autem reservatione facultatis, de qua est sermo, a summo Pontifice sibi facta, nec licite nec valide potest Episcopus latinus illa uti ».<sup>37</sup>

<sup>35</sup> *Jus Ecclesiasticum Universum* (Romae 1843-1844), III, 40, paragr. II,

n. 37.

<sup>36</sup> *De synodo dioecesana*, lib. VIII, cap. VIII, paragr. 7 (*Opera Omnia*, Prati 1844, tom. IX).

<sup>37</sup> *ibid.*

Quoad quaestionem alteram ipse solutionem non proponit :

« ... Omnium in hac materia gravissima controversia versatur circa auctoritatem Episcoporum : adeo enim diversa sunt hominum ingenia, ut eam ipsam potestatem, quam plerique summo Pontifici adiudicarunt, alii cuilibet Episcopo asserere non dubitent. Cardinalis Pallavicinus... Christianus Lupus, Thomassinus... Franciscus Farvaquius... Van Espen... Petrus Coustant... alique recentiores opinantur, sola inspecta institutione divina, et exclusa Ecclesiae prohibitione, posse Episcopum simplici sacerdoti committere, ut Chrismate a se confecto fideles consignet, ne secus degentes in locis, ad quae ipse accedere nequit Sacramento Confirmationis perpetuo careant. Nec vero pauca nec levia sunt rationum momenta quibus haec opinio innitur ». <sup>38</sup>

Sententia Benedicti XIV prout ex praecedentibus elucet, saltem quoad potestatem confirmandi, videtur esse sequens : Principium « *licet episcopus committere valeat quae iurisdictionis sunt, quae ordinis tamen episcopalis sunt non potest inferioris gradus clericis demandare* », saltem in quantum potestati confirmandi applicatur, valorem habet non ex ipsa natura rei, sed ex reservatione ab Ecclesia facta vi cuius iurisdictio episcopi hac in re limitatur.

JOANNES DEVOTI († 1820) indelegabilitatem tamquam proprietatem potestatis ordinis ponit :

« Ordinis potestatem consecratione acquirit Episcopus, semel acceptam numquam amittit, eaque alteri delegari non potest ». <sup>39</sup>

## 2) *Doctrina auctorum synthetice exponitur*

Praecedens nostra inquisitio apud auctores ante Codicem ad quamdam synthesim doctrinalem circa delegationem potestatis ordinis nos ducit. Plura enim puncta doctrinae invenimus omnibus auctoribus communia, quaedam alia quae, quamvis non ab omnibus exponantur, ad complendam tamen communem doctrinam concurrunt.

Auctores examinati concordēs omnino sunt in asserenda non-delegabilitate potestatis ordinis. Verba Decretalis Gregorii IX : « quae ordinis

<sup>38</sup> *Op. cit.* lib. VII, cap. VIII, paragr. III.

<sup>39</sup> *Institutionum Canoniarum Libri IV* (Bassani 1857), lib. I, tit. II, paragr. XIII.



tamen episcopalis sunt episcopus non potest inferioris gradus clericis demandare»,<sup>40</sup> pro ipsis valorem habent principii generalis, ad quod appellant ut difficultates in materia delegationis potestatis ordinis solvant. Recurrendo ad hoc principium, dubia solvunt circa potestatem consecrandi et reconciliandi ecclesias, circa potestatem confirmandi et ordines conferendi Haec omnia iuxta ipsos ab episcopo delegari nequeunt, *cum sint actus ordinis episcopalis*.

Delegatio tamen hic intelligenda est de delegatione ipsius potestatis ordinis, seu de actu quo episcopus tribuit, vel potius tribuere conatur, alicui in ordine episcopali non constituto potestatem ponendi actus ordini episcopali adnexos. Nam si verbum «delegare» intendatur in sensu *licentiae* alteri episcopo factae actus ordinis episcopalis in territorio non proprio ponendi, possibilitas et legitimitas huiusmodi delegationis ab omnibus admittitur.

Doctrina exposita, uti iterum infra videbimus, valet solummodo de praelatis Papa inferioribus, non vero de Papa ipso, cui competunt speciales hac in re facultates.

#### a) *Universalitas principii*

Decretalis loquitur de «iis quae sunt ordinis episcopalis». Principium tamen ab auctoribus enunciatum valorem habet generalem; quod patet tum ex modo quo ab auctoribus principium formulatur, tum ex ratione differentiae inter potestatem ordinis et iurisdictionis in ordine ad delegationem. Et imprimis ex variis modis quibus principium exprimitur, in oppositione nempe ad principium de delegabilitate iurisdictionis. Ergo concludere licet quod sicut quaelibet iurisdictionis per se delegari potest, ita nulla ordinis potestas est per se delegabilis. Huiusmodi illatio explicite fit a Panormitano, uti supra vidimus :

« Nam ea quae sunt ordinis non debent committi nisi habenti illum ordinem... Et ex hoc posses facere aliam regulam, quoad ea quae sunt alicuius ordinis non possunt delegari alicui non habenti illum ordinem ; et sic non est speciale in Episcopo ».<sup>41</sup>

Bene attendenda sunt verba quibus PANORMITANUS regulam generalem enunciat. Non dicit simpliciter, sicut aliquando apud auctores mo-

<sup>40</sup> c. 9, X, III, 40.

<sup>41</sup> *Super Quinque Libros Decretalium*, c. 9, X, III, 40.

dermos invenitur, quod potestas ordinis non est delegabilis, sed « ea quae sunt alicuius ordinis non possunt delegari non habenti illum ordinem ». Nam quamvis potestas, ordinis sit nomen genericum, ipsa tamen potestas prout in concreto invenitur est semper huius vel illius ordinis, puta ordinis episcopalis, presbyteralis etc. Potestas enim ordinis in concreto est facultas alicui gradui hierarchiae ordinis adnexa. Proprie ergo haberetur delegatio huius potestatis quando ille qui eam habet vi ordinis recepti eandem tribueret alteri in eodem gradu hierarchiae ordinis non constituto.

Notandum quoque est principium iuxta auctores valere non solum de potestate quae ex iure divino alicui ordini adnectitur, sed et de potestate quae ex institutione Ecclesiae alicui gradui hierarchiae ordinis competit. Quod patet ex enumeratione actuum, quorum ministerium, iuxta auctores, ab episcopis delegari nequit. Quidam enim ex actibus enumeratis certo certius ex solo iure ecclesiastico ordini episcopalis sunt adnexi, uti v. gr. consecratio et reconciliatio ecclesiarum et altarium, consecratio virginum etc.

#### b) *Fundamentum doctrinae expositae*

Plures inter auctores examinatos non sistunt in enunciatione principii supra expositi, sed ulterius quaerunt quonam fundamento innitatur. Quare, quaerunt, ea quae sunt iurisdictionis alteri delegari possunt, dum ea quae sunt ordinis alii in eodem ordinis gradu non constitutis committi nequeunt? Duplex huius differentiae adsignatur ratio. Fere ab omnibus acceptatur ratio quam ponit Glossa : « Haec potest esse ratio. Iurisdictio sola voluntate et verbo committitur... sed collatio sacramentorum non confertur sola voluntate vel verbo; immo facto est opus ». Aliis verbis, iurisdictio cum sit potestas imperii et conferatur per actum voluntatis exterius verbis vel scripto expressum, potest etiam eodem modo alteri committi; ordinis autem potestas non confertur nisi per determinatum ritum seu consecrationem, ideoque per solam voluntatem exterius manifestatam alteri non potest delegari.

Ratio, quae indolis magis iuridicae dici potest, datur a Panormitano « Concludendum est quod per inferiorem praelatum a Papa non potest fieri ista delegatio non pontificibus; quia non possunt isti disponere contra statutum et ordinem Ecclesiae »;<sup>42</sup> et iterum : « De iuris natura est quod quis exercent ordinem quem recepit ».<sup>43</sup>

<sup>42</sup> *Super Quinque Libros Decretalium*, c. 4, X, I, 4.

<sup>43</sup> *ibid.*

Doctrina Panormitani in terminologia iuridica hodierna ita exprimi posset : Praelati Papa inferiores potestatem ordinis quem habent alteri inferioris gradus clerico delegare non possunt, *quia hoc esset contra ius constitutionale Ecclesiae*. Iure enim constitutionali statutum est quatenus potestas singulis hierarchiae gradibus ratione ordinis competat. Ordo autem sic stabilitus funditus subverteretur, si potestas ordinis posset indiscriminatim aliis in eodem gradu non constitutis delegari. Videbimus infra quatenus sint facultates papae hac in re. Hic agimus de omnibus praelatis Papa inferioribus. Ipsi enim nulla competit facultas mutandi ius constitutionale ecclesiasticum, sive sit ius divinum sive solum ecclesiasticum. Et ita explicatur quare regula de non delegabilitate potestatis ordinis valeat non solummodo de iis quae alicui ordini iure divino adnectuntur, sed etiam de iis quae eidem ex iure ecclesiastico sunt adnexa. Ius enim ecclesiasticum in casu non potest esse nisi ius pontificium; nam potestas quae alicui competit ratione ordinis suscepti pendet vel a iure divino vel a iure ecclesiastico pontificio. Mutare enim aut modificare ius pontificium praelati Papa inferiores nullatenus possunt.

Ratio ergo fundamentalis quare potestas alicui ordini adnexa alteri inferioris gradus clerico delegari nequit in eo reponenda est quod huiusmodi delegatio excluditur ipso iure Ecclesiae constitutionali, tum divino tum ecclesiastico. Haec enim potestas confertur per quamdam consecrationem; dicitur e. gr. « ossibus Episcopi adhaerere »; talis ergo est ex voluntate Dei et Ecclesiae ut secum non ferat facultatem eam aliis personis in eodem gradu ordinis non constitutis delegandi. Ita videtur quomodo duplex illa ratio ab auctoribus adducta in id conspirat ut omnimodam indelegabilitatem potestatis ordinis demonstret.

Et in hac doctrina cum aliis concordat etiam BENEDICTUS XIV, cuius sententia supra exposita<sup>44</sup> primo intuitu singularis videri potest. Nam et ipse indelegabilitatem potestatis confirmandi in iure Ecclesiae constitutionali fundat, quo nempe Summus Pontifex facultatem huiusmodi potestatem delegandi sibimetipsi reservat.

Neque per doctrinam auctorum supra expositam excluditur quod aliqua detur ordinis potestas quam, utpote characteri sacramentali inseparabiliter et exclusive unitam, nequidem Summus Pontifex personis correspondenti ordinis gradu non insignitis committere potest. Auctores agunt de sola illa ordinis potestate circa quam Ecclesia aliqua gaudet delegandi facultate, quae tamen facultas, iuxta ipsos, neque episcopis neque aliis praelatis Papa inferioribus competit, sed soli Summo Pontifici.

<sup>44</sup> Vide supra p. 263.

## C — DE SPECIALI FACULTATE QUA GAUDET SUMMUS PONTIFEX

Vidimus supra quomodo auctores iuris veteris in enunciando principium de non delegabilitate potestatis ordinis illud semper ad praelatos Papa inferiores restringunt. Quoad Papam omnes concordant in adsignando ei quasdam in hac materia speciales facultates. Ut verbis utamur Divi Thomae: « *Papa, (secundum ipsos) potest quaedam quae sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus* ». <sup>45</sup> Investigatio nostra circa hanc Papae potestatem versabitur, eoque tendet ut doctrinam auctorum praecodicialium de hac potestate pro posse enucleare possimus. Haec enim doctrina non parum iuvabit ad doctrinam de delegabilitate potestatis ordinis melius intelligenda.

Duplici gressu investigatio nostra absolvetur. Exponimus imprimis utrum et quare secundum praedictos auctores huiusmodi facultates speciales circa delegationem potestatis ordinis Summo Pontifici sint exclusivae adiudicandae. Qua quaestione soluta, ulterius ad mentem eorundem monstrare conabimur quomodo iuxta ipsos haec Papae delegatio ita necessaria sit ut nequidem per consuetudinem centenariam vel immemorabilem suppleri possit.

Enucleare conabimur imprimis doctrinam auctorum veterum de ipsa potestate Papae et de eius fundamento. Doctrinam prius analytice et ordine chronologico, dein vero synthetice exponemus.

### 1) *Auctorum sententiae*

GANDULPHUS, qui scripsit circa annum 1185, Papae tribuit potestatem exclusivam committendi simplici sacerdoti facultatem administrandi ordines.

« Similiter solet quaeri, ita scribit ipse, si sacerdos daret huiusmodi ordines si starent. Dicimus quod non; sed de mandato Papae bene sed episcopi non ». <sup>46</sup>

INNOCENTIUS IV († 1245), amplissimas adiudicans Papae facultates circa sacramenta eorumque ministros, hoc habet circa ministrum confirmationis extraordinarium:

<sup>45</sup> *Summa Theol.* III, 72, II ad I.

<sup>46</sup> Citatur apud GILLMANN, *Zur Lehre der Scholastik von Spender der Firmung und des Weihesacraments* (Paderborn 1920), p. 19, nota 2.

« Sed numquid ex delegatione vel auctoritate Domini Papae possent (simplices sacerdotes) conferre (confirmationem)? Et quod possunt est argumentum dist. *pervenit*, et concordant omnes Doctores quod ex delegatione episcopi non licet nec umquam licuit... non enim episcopus habet potestatem super hoc aliquid statuendi sicut Papa. Hoc autem dicunt Papam posse per illud privilegium ei divinitus datum: *Quodcumque ligaveris super terram etc.* Ei namque in omnibus obediendum est spiritualibus et in his quae ad animam spectant, nisi contra fidem vel ei specialiter prohibitum sit ». <sup>47</sup>

Papae ergo, ipsique soli, iuxta Innocentium, competit facultas delegandi simplici sacerdoti potestatem administrandi sacramentum confirmationis; nam ipse habet in Ecclesia plenitudinem potestatis.

VINCENTIUS HISPANUS († 1248), in eodem de plenitudine potestatis principio fundatus, ministerium tum confirmationis tum ordinis simplici sacerdoti a Summo Pontifice committi posse sustinet, neque audet huic Summi Pontificis potestati limites apponere.

« Satis concederem, ita scribit, quod in huiusmodi ad hoc quod procederet, exigeretur, ut ille qui confert id habeat quod mandatur conferre, et ille qui mandat, habeat potestatem. Unde ad mandatum Papae ego diaconus possum conferre diaconatum, sed non presbyteratum, quia non habeo; non tamen de mandato episcopi quia non habet plenitudinem potestatis ».

Imo tanta est haec potestatis plenitudo ut Vincentius non audeat Papae negare potestatem committenti simplici presbytero etiam administrationem consecrationis episcopalis :

« Numquid similiter Papa posset sacerdoti conferre, ut consecraret episcopum nomine Papae sicut Gregorius concessit confirmationem? Et forte de plenitudine potestatis hoc facere posset ». <sup>48</sup>

De valore principii in textu enunciati circa subiectum capax recipiendi delegationem pontificiam sermo infra iterum redibit. Pro nunc notasse sufficiat Vincentium Papae tribuere facultates omnino speciales circa delegationem potestatis ordinis; quas facultates e contra episcopis denegat eo quod ipsi non habeant plenitudinem potestatis.

<sup>47</sup> *Apparatus super Decretales* (Venetiis 1570), c. 4, X, I, 4.

<sup>48</sup> Citatur apud GILLMANN, *op. cit.* p. 35, nota I.

BERNARDUS COMPOSTELLANUS asserit omnes Doctores concordare quod episcopus nequit simplici sacerdoti ministerium confirmationis committere. Hoc tamen non valet de Papa. Nam ipsi tribuenda est specialis potestas circa delegationem potestatis ordinis, vi cuius potest et sacerdotes habilitare ad confirmationem conferendam. In hoc casu iuxta Bernardum sacerdos confirmat « *ex delegatione Papae et adminiculo habiti sacramenti* ». <sup>49</sup>

HENRICUS DE SEGUSIO implicite eandem proponit doctrinam. Ad caput « *Quanto* » postquam negat episcopis facultatem delegandi sacerdotibus ministerium confirmationis adiungit :

« Sed numquid Papa posset hoc sacerdoti delegare... Nolo disputare de plenitudine potestatis ». <sup>50</sup>

HENRICUS BOHIC († 1310) distinguit inter potestatem Papae *absolutam* et potestatem *ordinatam*, quin tamen sensum huius terminologiae melius explicet.

« Si quaeratur, ita scribit, utrum Papa possit committere aut concedere inferiori Episcopo quod posset confirmare in fronte et chrisma conficere et ordines conferre, distingue : Aut quaeris de potestate absoluta Papae et de illa non audeo disputare, quia neque Hostiensis audet, ut hic dicit ; aut quaeris de potestate ordinata... ». <sup>51</sup>

Ex contextu auctor hic videtur distinctionem facere inter potestatem Papae ad validitatem delegationis et potestatem Papae quantum ad licitatem delegationis ita ut sensus praedicti textus sit sequens : *Aut quaeris quanam potestas ordinis potest a Papa valide clericis inferioris gradus committi et de illa non audeo disputare : aut quaeris quanam ordinis potestas potest licite a Papa clericis inferioris gradus delegari.* Quoad potestatem Papae absolutam auctor non audet disputare, cum difficulter limites apponi possint plenitudini potestatis qua gaudet Summus Pontifex hac in re. Quoad potestatem vero ordinatam, seu circa delegationem potestatis ordinis quae a Papa licite fieri potest, ita prosequitur auctor :

<sup>49</sup> *Super I Librum Decretalium*, c. 4, X, I, 4 (in *Perillustrium Doctorum in Libris Decretalium Auei Commentarii*. Venetiis 1588).

<sup>50</sup> *In Quinque Decretalium Libros Commentaria* (Venetiis 1581), c. 4, X, I, 4.

<sup>51</sup> *In Quinque Decretalium Libros* (Venetiis 1576), c. 4, X, I, 4.

« Aut quaeris de potestate ordinata et tunc aut quaeris de confectione chrismatis et de confirmatione in fronte aut de collatione ordinis. Si de duobus primis tunc aut quaeris utrum ea possit committere simplici sacerdoti, et dico quod sic... Dicit etiam Hostiensis quod talia ex constitutione Ecclesiae firma et rata iudicantur, et ideo circa talia potest dicere et facere quidquid vult Papa. Et cuilibet simplici sacerdoti posset dare potestatem quod talia exerceret... aut quaeris utrum ea committere alteri inferiori ordinis... et dicunt... quod probabilius non ». <sup>52</sup>

Auctor deinde quaerit utrum consecratio episcopi vel collatio ordinis Presbyteratus possit simplici sacerdoti a Papa committi. Cui respondet quod iuxta auctores consecratio episcopalis non potest simplici sacerdoti committi. Quoad ordinationem sacerdotalem dicit quod sententia affirmans sit « *iure probabilior* » sententia tamen negativa « *securior videtur* ». <sup>53</sup> Quidquid vero sit de solutione huius ultimae quaestiones, nullum adest dubium pro HENRICO BOHIC quod Papa specialibus omnino gaudet facultatibus circa delegationem potestatis ordinis, quas quidem facultates, cum ex ipsa plenitudine potestatis papalis emanent, in concreto determinare non audet.

ANTONIUS DE BUTRIO († 1408), quamvis non determinet in concreto quaenam facultates Papae hac in re competant, supponit tamen easdem sat amplas esse. Videtur amplecti sententiam Glossae iuxta quam Papa potest

« delegare episcopalia simplici sacerdoti, imo plus clerico, ut ille quae habet in se alteri conferre possit ».

Refert etiam sententiam D. Thomae, iuxta quem praedictum principium sustineri non potest saltem quando agatur de ordinibus maioribus. Sed nihilominus concludit in favorem sententiae Glossae :

« Et sic teneamus quod clericus hoc possit, quia ille tamquam capax spiritualium hoc poterit, sed laicus non ». <sup>54</sup>

APUD PANORMITANUM quaestio de potestate Papae hac in re paulo fusions examinatur et auctorum sententiae ab ipso crisi subiiciuntur. En quomodo de ea disserit :

<sup>52</sup> *ibid.*

<sup>53</sup> *ibid.*

<sup>54</sup> *Lectura super V Libros Decretalium* (Venetiis 1495), c. 4, X, I, 4.

« Item nota quod quaedam sunt sacramenta reservata solis episcopis, quae inferioribus non licet attingere, ut chrismare, ordines conferre, virgines benedicere, ecclesias consecrare et similia... Numquid ista sacramenta... possint delegari inferioribus et per quem?... Respectu Papae reperiuntur tres opiniones. Prima quod Papa collationem horum sacramentorum potest delegare presbytero dumtaxat. Secunda opinio quod etiam simplici clerico, dummodo habeat illud sacramentum quod alii conferre vult, et in hac opinione videtur residere glossa. Tertia opinio quod etiam laico potest hoc Papa demandare, dummodo laicus receperit illud sacramentum. Et hanc opinionem refert hic Gulielmus et Innocentius, aperte tamen non approbando. Glossa in cap. « manus » de consecratione dist. V, videtur illam approbare in eo quod posuit regulam dicens, quod ex delegatione Papae quilibet potest conferre sacramentum quod ipse receperit. Communior tamen opinio videtur ut laico hoc demandare non possit; et videtur opinio iustior, maxime quia in hoc denigraretur status ecclesiae quod Papa facere non potest... Sed dubium est quid in collatione ordinum. Glossa in dicto cap. « manus » de consecratione videtur velle quod idem dicendum sit quod supra. Sed Collectarius hic post beatum Thomam dicit quod collationem minorum ordinum posset Papa delegare simplici sacerdoti, secus in collatione sacrorum; quia sacri ordines habent actum et exercitium in confectione Eucharistiae. Nam ut dicit glossa notabilis in cap. « pervenit » non potest Papa committere non presbytero ut conficiat Corpus Christi, quia Christus hoc commisit solis presbyteris. Ita videtur dicendum in proposito ut sicut in confectione Eucharistiae non disponit contra institutionem Christi, ita nec in ordinatione ministrorum ipsius sacramenti. Ego potius putarem ut sacerdoti hoc possit delegare indistincte; quia licet de sacramento Eucharistiae sit dispositum institutione dominica qui habeat illud administrare hoc tamen non est dispositum in collatione ordinum. Nam olim presbyteri in communi regebant Ecclesiam et ordinabant sacerdotes. Unde quemadmodum olim poterant, ita videtur quod possit Papa hoc Sacerdoti, maxime delegando, cum nihil exerceat delegatus nomine proprio ».<sup>55</sup>

De valore ultimae partis argumenti a Panormitano propositi hic non agimus.<sup>56</sup> Considerationem nostram restringimus ad eius doctrinam de

<sup>55</sup> *Super V Libros Decretalium* (Venetiis 1588), c. 4, X, I, 4.

<sup>56</sup> Sententia quam hic amplectitur Panormitanus invenitur in *Decreto Gratiani*, c. 5, D. XCV; « Olim idem presbyter qui et episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis « Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephae », communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam autem unusquisque eos quos baptizaverat



potestate Papae quantum ad delegationem potestatis ordinis; quae doctrina ad tria reduci potest: 1) Papae competit specialis facultas delegandi potestatem ordinis. 2) Haec facultas fundatur in plenitudine potestatis quae soli Summo Pontifici competit. 3) Huic Papae potestati limites ponere pertinet ad solum ius divinum; ergo ea omnia potest quae iure divino non prohibentur.

Hoc ultimum principium alio modo proponitur a JOANNE ANDREA († 1348), qui in commentario ad caput *Quanto* potestatem Papae quoad praedictam delegationem ita vindicat: « ei enim obediendum est in omnibus spiritualibus et in iis quae ad animam spectant; non tamen si sint contra fidem ». <sup>57</sup>

IOANNES AB IMOLA († 1436) quaestionem sequenti modo exponit. Quoad collationem confirmationis et ordinis refert sententiam quam supra apud Panormitanum vidimus, iuxta quam olim omnes presbyteri confirmabant et ordines conferebant:

« olim tempore primitivae ecclesiae presbyteri ordinabant et consecrabant omnia sacramenta ».

Ratio quare hodie requiratur delegatio pontificia ad hoc ut presbyteri possint praedicta sacramenta conferre repetenda est in quadam restrictione ab Apostolis inducta, vi cuius collatio horum sacramentorum solis episcopis reservata est:

« postea restricta fuit potestas et virtus characteris per ritum Apostolorum ut solum episcopi conferant ordines et sacramentum confirmationis in fronte ». <sup>58</sup>

Potestas tamen Papae non est ita limitata, iuxta Ioannem ab Imola, ut solis presbyteris committere possit facultatem confirmandi. Nam talis potestas etiam aliis clericis, imo et laicis a Papa conferri potest.

« Certe non video quare non possit laico hanc potestatem concedere, ex quo potest simplici clerico illam concedere, et quod

---

suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris superponeretur et schismatum semina tollerentur ». Textus in Decreto citatus desumitur e commentario S. Hieronymi in Epistolam ad Titum.

<sup>57</sup> *In Sex Decretalium Libros Novella Commentaria* (Venetiis 1612), c. 4, X, I, 4.

<sup>58</sup> *Commentarium super Decretales* (Venetiis 1575), c. 4, X, I, 4.

tamen non reperitur in iure expressum; et quia laico concedere potestatem excommunicandi et sic exercendi spiritualia, et pro hoc etiam quia tunc facit vice Papae. Et sic ipse Papa videtur per eum facere... Nec obstat praedictis quod istud est contra ritum Apostolorum, quia Papa videtur posse contra Apostolum seu Apostolos dispensare dummodo non faciat contra articulos fidei ».

Ioannes tamen, hanc suam sententiam uti probabilem tantum proponit; nam ita concludit :

« Tutius tamen est quod Papa abstineat a conferendo talem potestatem laico ex quo alias non reperitur illam fuisse concessam, et similiter abstineat a conferendo talem potestatem simplici clerico, cum alias non reperiatur hoc fuisse talibus concessum, sed solum presbyteris ».<sup>59</sup>

IOANNES GAUFREDUS non solum Papae adiudicat speciales facultates circa delegationem potestatis ordinis, sed et easdem probabiliter sese extendere etiam ad ministerium sacrorum ordinum censet :

» Numquid Papa potest committere simplici sacerdoti sacros ordines conferre. Videtur quod sic, propter ea quae notat Innocentius hic et Hostensis notat... dicens quod ubi simplex Sacerdos ex commissione Papae haberet potestatem conferendi ordines, prohibitus nihil faceret ».<sup>60</sup>

GUIDUS PAPA († 1487) potestatem papae hac in re magnam esse agnoscit; ei enim subtrahuntur ea dumtaxat quae sunt « contra articulos fidei vel contra statum totius Ecclesiae ».<sup>61</sup>

ANTONIUS DADINUS ALTESERRA († 1644) commentando caput. *Quanto* sustinet quod ex epistola Gregorii IX ad Ianuarium concludere possumus presbyteris committi posse a papa etiam facultatem conferendi ordines :

« Ex dispensatione Sedis Apostolicae etiam a presbyteris sacramentum ordinationis conferre posse aperte innuit (Gregorius) in epistola illa ad Ianuarium... quia Sedes Apostolica etiam minoribus, puta subdiaconis Ecclesiae Romanae, vices suas committere potest ».<sup>62</sup>

<sup>59</sup> ibid.

<sup>60</sup> *Collectarius Juris in V Libros Decretalium*, c. 4, X, I, 4.

<sup>61</sup> *Super V Libros Decretalium*, c. 4, X, I, 4. (in *Perillustrium Doctorum in Libris Decretalium Auei Commentarii*. Venetiis 1588).

<sup>62</sup> *Innocentius III, P. M. seu Commentarius Perpetuus in singulas Decretales huius Pontificis, quae per V Libros Decretalium sparsae sunt*, c. 4, X, I, 4.

Papa, iuxta GONZÁLEZ TÉLLEZ, potest quaedam quae sunt episcopalis ordinis committere etiam presbyteris, uti e. gr. potestas confirmandi et reconciliandi ecclesias. Quam Summi Pontificis potestatem ita explicat :

« Sciendum est Episcopos per consecrationem Episcopalem recipere immediate a Christo novam ordinis potestatem indelebilem, secundum quam superiores sunt Presbyteris et quaedam Ordinis ministeria exercere possunt quae presbyteris omnino denegantur ut expresse docet Tridentinum... Inter quae (ministeria) alia sunt Sacramenta ut Confirmatio et Ordo, alia vero solum sacramentalia, ut consecrationes Ecclesiarum, vasorum, virginum et similia... quae omnia ministeria Episcopis ratione ordinis reservata non ita ab ipso Christo fuerunt distincta sed haec determinationi Ecclesiae reliquit ». <sup>63</sup>

Quae ergo iure divino non sunt exclusive adnexa alicui ordini possunt a Summo Pontifici etiam clericis inferioris gradus committi.

PROSPER FAGNANUS comparationem expresse instituit inter potestatem episcoporum et potestatem Papae in ordine ad delegationem potestatis ordinis. In commentario ad regulam in cap. *Aqua* traditam, quod scilicet ea quae sunt iurisdictionis etiam inferioribus delegari possunt, secus autem ea quae sunt ordinis episcopalis, ita scribit :

« Procedunt tamen haec in Episcopo, qui non potest ea quae ordinis episcopalis sunt demandare nisi constituto in ordine episcopali ; Papa vero potest ea committere etiam inferioribus Sacerdotibus, ut de minoribus Ordinibus patet... ». <sup>64</sup>

Idem constat iuxta ipsum relate ad collationem Confirmationis et ad potestatem reconciliandi ecclesias ; quae omnia a Papa etiam simplici sacerdote committi possunt.

Haec Papae potestas, iuxta Fagnanum, fundatur in plenitudine potestatis quam ad mentem D. Thomae ita explicat :

« Papa, qui habet plenitudinem potestatis committere potest non episcopo pertinentia ad episcopalem dignitatem, modo illa non habeant relationem ad corpus Christi verum ». <sup>65</sup>

<sup>63</sup> *Commentaria Perpetua in Decretales Gregorii IX* (Lugduni 1715), c. 4, X, I, 4.

<sup>64</sup> *Jus Canonikum seu Commentaria in V Libros Decretalium* (Coloniae Allobrogum 1759), c. 9, X, III, 40.

<sup>65</sup> *Op. cit.* c. 4, X, I, 4.

De sensu et valore huius ultimae clausulae circa ea quae respiciunt corpus Christi verum infra videbimus. Sed etiam posita hac restrictione, mens Fagnani circa speciale Summi Pontificis facultates hac in re satis clara est et ita reassumi potest: Papa potest quibusdam inferioribus clericis delegare omnem illam ordinis potestatem quae versatur circa Corpus Christi mysticum, non vero illam quae relationem habet ad Corpus Christi verum.

Auctor qui potestatem Papae magis restringere videtur est PIRHING, qui plenitudinem potestatis coarctat ad ea quae sunt iuris ecclesiastici et mere humani,

« quia in iis quae sunt iuris seu potestatis episcopalis ex dispositione seu ordinatione ecclesiastica et mere humana, Papa habet plenitudinem potestatis... ideoque eam alteri delegare potest; quae autem ex dispositione seu lege divina certo ordini sunt concessa ea non possunt etiam ab ipso Summo Pontifice non habenti illum ordinem ». <sup>66</sup>

Hic tamen loqui videtur de iis quae ex lege divina alicui ordini *exclusive* adnectuntur.

Aliquid de specialibus Papae facultatibus hac in re innuitur etiam a BENEDICTO XIV in opere « *De Synodo dioecesana* ». De potestate consecrandi et reconciliandi ecclesia haec habet :

« Ecclesias consecrare, ut cuique compertum est, ad diocesanum episcopum pertinet; qui si forte consecrationem aggredi per se nequeat, potest ad eam peragendam alium episcopum advocare; sed minime ipsi licet id muneri simplici presbytero, etiam cum sacris oleis per ipsum episcopum benedictis, exsequendam delegare; *huius quippe rei facultas uni Romano Pontifici reservata est* ». <sup>67</sup>

Quaestio de potestate Papae modo aliquatenus diverso formulatur a Petro GASPARRI. Non loquitur de delegatione quae a Papa fieri potest, sed quaerit :

« Num Romanus Pontifex valeat potestatem ordinis directe committere per indultum sine ritu sacrae ordinationis? ».

<sup>66</sup> *Jus Canonikum Universum*, lib. III, tit. 40, paragr. III, n. 20.

<sup>67</sup> *De Synodo Dioecesana*, lib. XIII, cap. XV, paragr. II.

Cui quaesito ita respondet, distinguendo inter varias potestatis ordinis species :

« Responsio affirmativa certa et evidens est pro potestate ordinis iuris humani ; sicut enim suprema auctoritas ecclesiastica potuit hanc potestatem ritui ordinationis adnectere, ita potest eam directe demandare non solum clericis, sed etiam laicis absolute loquendo ; qui tamen exinde clerici non evaderent, quia illam non haberent ex sacra ordinatione. Ita e. gr. Romanus Pontifex certe potest dare potestatem exsequendi, tamquam ex officio, munera minorum ordinum et subdiaconatus, potestatem consecrandi ecclesiam, potestatem conferendi subdiaconatum aliosque inferiores gradus etc. Quoad potestatem ordinis iuris divini non potest dari eadem responsio pro omnibus. Ita e. gr. Romanus Pontifex potest illi qui diaconus non est, officium diaconi committere, qui improprio appellaretur diaconus, cum characterem non haberet. Certe nequit et qui sacerdos ordinatus non est conferre potestatem offerendi sanctissimum eucharistiae sacrificium, remittendi ac retinendi peccata, administrandi sacramentum extremae unctionis. Tandem certe potest dare presbytero non autem aliis, potestatem confirmandi, quae competit episcopis ex episcopali consecratione ; sed nemini qui non sit episcopus dare potest potestatem conferendi ordines hierarchicos » ...<sup>68</sup>

Plura quae in citato textu continentur ampliore indigerent explanatione, praesertim relate ad potestatem conferendi ordines sacros. Sed de his sermo infra redibit cum potestatem Papae hac in re magis in concreto determinare conabimur. Pro nunc retinere sufficiat quod iuxta Gasparri potestas Papae sese extendit non solum ad ea quae sunt institutionis mere ecclesiasticae sed etiam ad quaedam quae ex iure divino alicui ordini sunt adnexa, uti e. gr. accidit relate ad potestatem confirmandi, quae iure divino episcopis competit et tamen a Papa potest presbyteris committi.

Notandum est Gasparri non uti terminologia apud antiquos auctores consueta. Non quaerit utrum Papa possit *delegare* potestatem ordinis sed utrum « *valeat potestatem ordinis directe committere per indultum sine ritu sacrae ordinationis* ». Quoad rem tamen quaestio proposita est eadem et responsum datum substantialiter cum sententiis supra expositis convenit.

<sup>68</sup> *Tractatus canonicus de Sacra Ordinatione* (Lugduni et Parisiis 1893-1894), pp. 293-294.

## 2) *Doctrina auctorum synthetice exponitur.*

Ex auctorum examine supra peracto quaedam puncta doctrinalia omnibus communia colligere possumus.

Principium de non delegabilitate potestatis ordinis, quod ab omnibus propugnatur, restringendum est iuxta ipsos ad praelatos Papa inferiores. Papae e contra agnoscunt hac in re speciales facultates. Omnibus commune est principium generale, a Divo Thoma enunciatum, quod Papa « *potest quaedam quae sunt superiorum ordinum committere quibusdam inferioribus* ». <sup>69</sup>

Ad significandum actum quo Summus Pontifex potestatem ordinum superiorum inferioribus committit auctores diversa adhibent vocabula: « *ex delegatione Papae* » (Bernardus Compostellanus); « *ex delegatione vel auctoritate Domini Papae* » (Innocentius IV); « *de mandato Papae* » (Gandulphus); « *potestatem concedere* » (Ioannes ab Imola); « *dare potestatem* » (idem); « *committere* » (Fagnanus), etc. Sensus horum verborum bene a Gasparri exprimitur quando quaerit: « Num Romanus Pontifex valeat potestatem ordinis *directe committere per indultum sine ritu sacrae ordinationis?* ». <sup>70</sup> Modus enim, ut ita dicam, *normalis* conferendi potestatem ordinis est ritus sacrae ordinationis. Sed praeter hunc modum ordinarium datur alius modus extraordinarius, qui a solo Papa adhiberi potest. Nam Papae competit facultas conferendi ordinis potestatem, saltem quoad quosdam eius actus, absque ritu sacrae ordinationis. Est haec potestatis collatio extraordinario modo a Summo Pontifice facta, quae apud auctores antiquos venit sub nomine delegationis pontificiae. Ergo potius quam de delegatione in sensu proprio, qua scilicet aliqua persona potestatem accipit nomine alterius exercendam, agitur de modo extraordinario conferendi potestatem ordinis. Huiusmodi *delegatio* vario modo fieri potest a Summo Pontifice. Potest enim eam vel iure adnectere alicui officio vel specialiter alicui personae committere. In utroque casu habetur illa *delegatio* de qua loquuntur auctores antiqui et potestas ordinis hoc modo collata ab ipsis dicitur *delegata*. Haec potestas delegata *extraordinaria* dici potest, eo quod extra ordinem communiter servandum Summus Pontifex eam concedit personis correspondenti ordini non insignitis. Omnes concordant quod solus Papa potest potestatem ordinis hoc modo extraordinario conferre seu delegare.

<sup>69</sup> *Summa Theol.* III, 72, 11 ad 1.

<sup>70</sup> *Tractatus canonicus de S. Ordinatione*, p. 293.

*Fundamentus huius doctrinae :*

Sed undenam habet Summus Pontifex talem facultatem? Ratio, iuxta omnes, reponenda est in plenitudine potestatis quae ratione summi Pontificatus soli Papae competit in Ecclesia. Illi soli dicta sunt verba Christi : « Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis ». His verbis Christus Vicario suo in terris amplissimas tribuit facultates. Ad delegationem potestatis ordinis quod attinet, haec plenitudo potestatis ad omnia sese extendit quae non sunt iure divino immutabiliter stabilita. « *Ei namque in omnibus obediendum est in spiritualibus et in iis quae ad animam spectant, nisi contra fidem vel ei specialiter prohibitum sit* ». <sup>71</sup> Et hoc etiam si faciat contra praxim quae viget inde a tempore Apostolorum « quia Papa videtur posse contra Apostolum seu Apostolos dispensare ». <sup>72</sup> Inde est quod Papa magna gaudet potestate circa ea omnia quae non sunt iure divino determinata.

Quinam actus potestatis ordinis possunt a Summo Pontifice *delegari* videbimus infra. Pro nunc sufficiat notasse momentum quod veteres auctores principio de plenitudine potestatis tribunt ad explicandum qua ratione Papa « potest quaedam quae sunt superiorum ordinum committere quibusdam inferioribus ». Agitur, iuxta omnes, de principio quod amplissimam habet applicationem, cuius limitatio provenire potest a solo iure divino. Loquuntur sane de *plenitudine* potestatis. Summus enim Pontifex nullum in terris cognoscit superiorem; propterea ea omnia quae a Divino Ecclesiae Fundatore non sunt determinata eius prudenti iudicio determinanda reliquuntur. Ut verbis utamur Pii a Langonio :

« Ipsius (Summi Pontificis) potestas non est ministerialis sed vicariialis, quippe qui Christi vices per omnia et omnino agit, quique proinde nomine et auctoritate Christi ea quae Christus, tum in divina doctrina tum in sacramentis indeterminate et inchoative tantum tradidit, explicare, evolvere, praefinire, sub poena haereseos quoad doctrinam et invaliditatis quoad sacramenta supremo et incensurabili iure valet. Omnis enim potestas ei data est non in coelo sed in terra ». <sup>73</sup>

Unde Hostiensis asserit se de plenitudine potestatis non audere disputare. <sup>74</sup>

<sup>71</sup> Innocentius IV, *Apparatus super V Decretalium Libris*, c. 4, X, I, 4.

<sup>72</sup> JOANNES AB IMOLA, *Commentarium super Decretales*, c. 4, X, I, 4.

<sup>73</sup> *De Bulla Innocentiana seu de potestate Papae committendi simplici presbytero subdiaconatus et diaconatus collatione*, in *Analecta Ecclesiastica* 9 (1901) p. 475.

<sup>74</sup> Vide supra p. 270.

Praecedentia valent, iuxta HENRICUM BOHIC, de potestate Pape *absoluta*, a qua ipse distinguit potestatem eius *ordinatam*. Nam quamvis absolute loquendo potestas Papae sit amplissima, prudenter exercere debet, modo scilicet quo melius procurari potest finis Ecclesiae seu sanctificatio et salus animarum. Haec distinctio inter potestatem Papae *absolutam* et *ordinatam* magnum habere potest momentum methodologicum, eo quod, posita tali distinctione, non valet illatio quae quandoque apud auctores invenitur, illatio scilicet a non-exercitio ad non-existentiam alicuius potestatis in Summo Pontifice. Ita e. gr., supposito quod Summus Pontifex numquam commisit presbytero ut alium presbyterum ordinaret, non licet exinde ob hoc solum argumentum concludere : ergo Papa non potest hoc facere. Ad summum concludere licet quod hoc minus convenit. Nam si hucusque satis superque provideri potuit ordinationi sacerdotum in Ecclesia quin ad modum agendi ita extraordinarium recurreretur, Papa imprudenter ageret ad talem modum extraordinarium absque necessitate recurrendo.

#### D — DE VI IURIDICA CONSUEUDINIS AD PRAESCRIBENDAM POTESTATEM ORDINIS

Quaestio hic examinanda, de vi iuridica consuetudinis in ordine ad acquisitionem potestatis ordinis, ab auctoribus antiquis excitatur ad demonstrandum ita exclusive ad Papam pertinere huius potestatis delegationem ut nequidem per consuetudinem seu praescriptionem immemoriam suppleri possit delegatio pontificia. Principium iuris « *consuetudo immemoralis vim habet privilegii pontificii* » suam habet applicationem in iis quae sunt iurisdictionis, minime vero in iis quae sunt ordinis.

Quaestioni occasionem praeberunt duo capita ex Decretalibus in initio huius capituli transcripta, caput *Quanto* de consuetudine et caput *Aqua* de consecratione ecclesiae. In utroque capite habetur reprobatio consuetudinis quae invocabatur ad iustificandum exercitium ordinis episcopalis a simplicibus presbyteris. Huiusmodi consuetudo dicitur esse « *potius corruptela* »<sup>75</sup> nec valere ad potestatem episcopalem presbyteris tribuendam.

Sed quare non valet consuetudo in casu? Quaenam est ratio ob quam potestas ordinis praescribi nequit? Valetne hoc de omni ordinis potestate vel distinguere debemus inter potestatem ordinis iuris divini et iuris

<sup>75</sup> c. 9, X, III, 40.



ecclesiastici, ita ut principium negans consuetudini omnem valorem applicanda sit soli potestati iuris divini? Solutiones ad has quaestiones dantur a quibusdam auctoribus antiquis qui rem profundius examinauerunt; quorum sententiae nunc exponendae veniunt.

Consuetudo quae in capite *Aqua* reprobatur dicitur an **HOSTIENSI** esse contra iuris naturam :

« Nota, scribit ipse in commentario ad praedictum caput, quod consuetudo quae est contra iuris naturam non prodest ; sed et quae possideri non possunt, consuetudine vel praescriptione tolli non possunt ». <sup>76</sup>

Presbyter, iuxta **Hostiensem**, est incapax exercendi ea quae sunt ordinis episcopalis, unde valet adagium quod incapax possidendi est incapax praescribendi.

Haec eadem ratio repetitur a **PANORMITANO** :

« Nota... unam regulam mente tenendam, quod ea quae sunt ordinis episcopalis non possunt acquiri per inferiorem ex consuetudine quantumcumque vetustissima. Ratio est quia consuetudo non facit quem capacem ». <sup>77</sup>

Alia datur ratio a **GUIDONE** : « Ratio determinandi est haec, quia consuetudo pontificale officium immutare non potest ». <sup>78</sup> Quae ratio similis est illi supra a Panormitano allatae ad explicandum quare episcopus ea quae sunt ordinis delegare non potest, <sup>79</sup> ne scilicet ordo hierarchicus subverteretur; quod facile accideret si potestas ordinis episcopalis ab inferioribus praescriptione acquiri possit.

**DIDACUS COVARRUVIAS** (1512-1577) asserit hanc doctrinam valere non solum de iis quae sunt ordinis episcopalis ex iure divino, sed etiam de potestate quae iure mere ecclesiastico ordinis episcopali adnectitur.

« Plura etenim iura quae competunt episcopis, possunt ab iis qui episcopi non sunt, praescriptionis titulo acquiri... ea tamen munera quae episcopis ratione ordinis episcopalis competunt, et

<sup>76</sup> *Lectura in Quinque Libros Decretalium*, c. 9, X, III, 40.

<sup>77</sup> *Super Quinque Libros Decretalium*, c. 4, X, I, 4.

<sup>78</sup> *Super Quinque Libros Decretalium*, c. 4, X, I, 4.

<sup>79</sup> Vide supra p. 257.

quae vere exigunt illam indelebilem Episcopi consecrationem, nequaquam acquiri poterunt ab aliis quam episcopis, quacumque etiam immemoriali praescriptione. Nam ad episcopale munus pertinent aliquot, quae nec ex Papae dispensatione non episcopis possunt delegari; et haec nulli dubium esse potest nec ullo temporis iure acquiri non episcopis posse. Alia vero quae licet episcopalem ordinem requirant, delegatione tamen et privilegio Papae possunt non episcopis competere, adhuc temporis titulo minime valent alicui convenire; siquidem in his privilegium Principis et immemorialis praescriptio paria non sunt; ex eo quod non Episcopi, secluso Romani Pontificis privilegio, incapaces sunt horum munerum et ideo non habet immemorialis praescriptio parem vim cum privilegio». <sup>80</sup>

Praescriptio ergo, iuxta Covarruviam, nullum locum habere potest in iis quae sunt ordinis episcopalis; quae ab inferioribus acquiri possunt solummodo ex privilegio Pontificio.

Quaestio fuse tractatur etiam a PROSPERO FAGNANO in commentario ad caput *Quanto*, ubi et ipse omnimodam necessitatem privilegii apostolici propugnat ad hoc ut clericus inferior possit acquirere ea quae sunt ordinis episcopalis.

« Praetextu consuetudinis Presbyteri non possunt in fronte chiri-mare... Sed quia haec littera loquitur indefinite de sacramentis quae solis episcopis sunt reservata et Sacramentum Confirmationis non ponitur nisi gratia exempli, ideo secundum Antonium De Butrio et Abbatem generalius sic potest summari: Consuetudo non habilitat Presbyteros ad ea quae sunt ordinis episcopalis seu reservata Ordini Episcopali ». <sup>81</sup>

Et hoc valet iuxta Fagnanum etiam si consuetudo sit immemorialis, non obstante dubio a quibusdam moto in contrarium:

« Aliquibus visum est immemorabilem consuetudinem habere vim privilegii apostolici... in qua dubitatione videtur respondendum eiusmodi consuetudinem utcumque immemorabilem non valere. Nam ea quae sunt ordinis episcopalis nullo umquam tempore praescribuntur... Ratio est quia simplex Sacerdos absque Apostolico privilegio non est capax exercendi ea quae sunt or-

<sup>80</sup> *Variarum Solutionum Liber I*, cap. X, n. 14 (*Opera Omnia*, tom. II, Genevae 1672).

<sup>81</sup> *Jus Canonicum seu Commentaria in V Libros Decretalium* (Coloniae Allobrogum 1759), c. 4, X, I, 4.

dinis episcopalis, et praescriptio immemorialis ita demum aequi-  
 pollet privilegio et habet vim tituli, si is qui vult praescribere  
 sit capax, ut notat expresse Abbas... : Nota unam regulam  
 mente tenendam, quod ea quae sunt ordinis episcopalis non  
 possunt acquiri per inferiorem ex consuetudine quantumcumque  
 vetustissima ; nam possessio temporis cuius initii non est me-  
 moria habet vim tituli quando datur capacitas in exercente ;  
 alias non ». <sup>82</sup>

Proprie ad hoc requiritur delegatio pontificia, ut capacitas simplici  
 sacerdoti tribuatur exercendi ea quae sunt ordinis episcopalis :

« Iura quae dicunt tempus immemorabile habere vim privilegii  
 loquuntur quando cadere potest ius in aliquem absque auctori-  
 tate Sedis Apostolicae expressa ; sed ius exercendi ea quae sunt  
 ordinis Episcopalis non cadit in simplicem sacerdotem absque  
 expressa auctoritate Sedis Apostolicae... Ergo tempus immemo-  
 rabile quoad hoc non habet vim privilegii ». <sup>83</sup>

Expositio satis completa huius doctrinae invenitur etiam apud PIRHING.  
 Textus fere ex integro et ad litteram transcribimus eo quod expositio  
 clara sit nec explicatione indiget.

« Nulla consuetudine, quamvis immemoriali, inferiores clerici,  
 etiam presbyteri, non Episcopi acquirere vel praescribere pos-  
 sunt ut praestent vel exercent ea quae sunt propria ordinis  
 Episcopalis ; sed talis consuetudo est ipso iure invalida et nul-  
 lius momenti... Ratio est quia qui non est capax actuum per  
 quos praescribere debet numquam potest praescribere sive usu-  
 capere ; incapax enim possessionis est incapax praescriptionis,  
 cum sine possessione non procedat praescriptio... Sed omnes cle-  
 rici inferiores, etiam Presbyteri, non Episcopi, ex divina lege  
 seu institutions non sunt capaces conferendi sacramentum Con-  
 firmationis et Ordinationis, cum minister ordinarius conferendi  
 sacramentum Confirmationis et Ordinis sit solus Episcopus (Con-  
 cil. Trid., Sess. 7, cap. 3, Sess. 23, can. 7) et constat ex usu et  
 traditione Ecclesiae, inferiores vero id possint solum ex com-  
 missionem speciali seu delegatione Iuris vel Summi Pontificis,  
 iuxta communem sententiam Doctorum, quam praxis Ecclesiae  
 confirmat. Ergo etiamsi per longissimum et immemorabile tem-  
 pus clerici inferiores, non Episcopi, hos actus exercent, num-  
 quam eas potestates possunt acquirere, sive praescribere, quia

<sup>82</sup> ibid.

<sup>83</sup> ibid.

sola consuetudo non facit aliquem capace[m] qui secundum se est incapax... quamvis possint ab inferioribus clericis per diuturnam consuetudinem acquiri et praescribi quae sunt dignitatis sive iurisdictionis Episcopalis propria quia horum sunt capaces ». <sup>84</sup>

Doctrina hucusque exposita valet iuxta Pirhing etiam de iis quae sunt ordinis episcopalis ex solo iure ecclesiastico :

« Porro non solum ea quae ex divina lege seu institutione sunt propria ordinis Episcopalis eique reservata, per consuetudinem etiam immemoriam acquiri sive praescribi non possunt ab inferioribus clericis (quia sicut consuetudo non potest abrogare legem divinam ut v. gr. simplex Presbyter ex vi et potestate ordinationis suae possit sacramentum Confirmationis vel Ordinis conferre, ita neque sola consuetudo potest eum reddere capace[m], Suarez lib. 7 de legibus c. 19, n. 17) ; sed etiam idem dicendum est si inhabilitas illa proveniat ex lege positiva sive Ecclesiae institutione. Nam quamvis absolute loquendo possit lex ecclesiastica, sive humana, abrogari et tolli per contrariam consuetudinem, non tamen, stante ea lege per quam personae aliquae redditae sunt incapaces ad actum aliquem valide exercendum, fieri potest ut per consuetudinem quantumvis diuturnam, etiam immemoriam, capaces reddantur et consequenter nec fieri potest ut quamdiu illa lex in vigore suo manet et non legitime abrogata est, tales personae vi solius consuetudinis possint valide exercere talem actum ad quem inhabiles sunt redditae, quia incapax possidendi est incapax praescribendi ». <sup>85</sup>

Ita explicatur, e. gr. quare potestas consecrandi ecclesias per consuetudinem acquiri non potest :

« ideo nullus praelatus, non episcopus, sive saecularis sive regularis, vel alius sacerdos per consuetudinem etiam immemoriam, talem potestatem praescribere vel acquirere potest, quia cum actus sive exercitium talis potestatis ob incapacitatem personae sit irritum et nullum, non potest per illud aliquod ius acquiri, quod enim nullum est nullum producit effectum iuxta dictum vulgatum... ». <sup>86</sup>

---

<sup>84</sup> *Jus Canonicum in V Libros Decretalium distributum* (Venetiis 1759), lib. I, tit. IV, sect. II, LXXXIX.

<sup>85</sup> *ibid.*

<sup>86</sup> *ibid.*

Conclusionem totius argumentationis Pirhing deinde ita proponit :

« Ex quo infertur quod non quidquid potest per privilegium acquiri potest etiam per consuetudinem, etiam immemorabilem, sed potentius est privilegium, quia per privilegium vel dispensationem Papae potest... concedi potestas... ut simplex sacerdos baptizatos confirmet vel ordines saltem minores conferat etc. quae iura vel potestates per consuetudinem quantumvis diuturnam et immemorabilem acquiri non possunt propter subiecti sive personae incapacitatem quam auferre potest privilegium, non autem consuetudo ».<sup>87</sup>

REIFFENSTUEL quoque explicat disparitatem inter consuetudinem et privilegium hac in re.

« Non valet, scribit ipse, consuetudo, etiam immemorabilis, ut Clericus non Episcopus possit exercere ea quae sunt Ordinis Episcopalis, utputa conferre sacramentum Confirmationis, Ordinationis ac huiusmodi... Nec obstat quod ex speciali concessione Summi Pontificis, etiam inferiores Episcopo possint sacramentum Confirmationis conferre... Respondeo enim, licet hoc fieri possit ex delegatione Summi Pontificis eiusdemque concessione speciali ; hinc tamen non sequi, quod inferiores clerici, seu simplices sacerdotes, etiam per consuetudinem acquirere potestatem illam. Ratio est quia Clerici inferiores sunt incapaces possessionis exercendi actus Ordinis Episcopalis... Ergo numquam possunt talem potestatem praescribere, aut longeva consuetudine etiam immemorabili acquirere; cum sine possessione non currit praescriptio ».<sup>88</sup>

Alibi idem auctor asserit doctrinam traditam valere etiam si agatur de potestate ordinis iuris ecclesiastici :

« consuetudo non potest operari, ut Clericus non Episcopus possit exercere ea quae sunt reservata Ordini Episcopali, sive de iure divino sive humano pertineat ad potestatem Ordinis Episcopalis ut cum communi aliorum bene observat Pirhing ».<sup>89</sup>

<sup>87</sup> *ibid.*

<sup>88</sup> *Jus canonicum universum* (Macerate 1752), lib. I, tit. IV, paragr. III, nn. 81-82.

<sup>89</sup> *Op. cit.*, lib. III, tit. XL.

De huiusmodi consuetudine scribit SANTI († 1885) quod esset « *eversio potestatis ordinis* ». Nam

« ex cc. 6 et 7 Sessionis 23 Concil. Tridentini apparet esse differentiam, etiam ratione potestatis ordinis, divina ordinatione institutam inter Episcopos et presbyteros. Si igitur e. gr. presbyteri hanc episcoporum specificam ordinis potestatem consuetudine praescribere vellent, haec esset revera corruptela iuris. Licet ergo iurisdictionis potestas nonnumquam possit praescribi, hoc de potestate ordinis dici nequit ». Haec tamen repugnantia non existit quoad privilegium pontificium; nam « certum est ex delegatione Summi Pontificis Presbyteros Confirmationem conferre », eo quod in caractere presbyterali insita est capacitas « delegationis habendae a suprema auctoritate in Ecclesia ad conferendum sacramentum Confirmationis ».<sup>90</sup>

Unicus auctor qui doctrinam contrariam sustinere videtur est LUDOVICUS ENGEL († 1674), qui ex privilegio quibusdam praelatis non episcopis concesso conferendi ordines minores ita arguit :

« Si enim tales praelati possunt dare minores ordines et alias Ordo Episcopalis secundum Theologos essentialiter non differat ab ordine sacerdotali... non est adeo inconveniens, ut vel per privilegium vel *per consuetudinem* saltem immemoriam alius etiam actus Ordinis Episcopalis sacerdoti acquiri possit ».<sup>91</sup>

Ex auctoribus supra examinatis sequentia facile apparent :

a) Communis est sententia quod potestas ordinis episcopalis non potest ab inferioribus per consuetudinem seu praescriptionem acquiri.

b) Ratio est quia ad praescriptionem requiritur possessio. Sed cum inferiores clerici incapaces sint exercendi actus ordinis episcopalis, nullo umquam tempore potestatem quam huiusmodi actus supponunt praescribere possunt. Insuper si admitteretur huiusmodi consuetudinem vim habere, subverteretur hierarchia ordinis a Christo et ab Ecclesia stabilita.

c) Nequidem illa potestas ordinis episcopalis quae a Papa committi potest presbyteris, per consuetudinem acquiri potest. Nam etiam hic

<sup>90</sup> *Praelectiones Juris Canonici* (Romae 1904), lib. I, tit. IV, n. 9.

<sup>91</sup> *Collegium Universi Juris Canonici* (Venetiis 1733), lib. III, tit. XL, paragr. I, n. 9.

valet ratio in conclusione praecedenti allata, scilicet qui incapax est possidendi incapax est praescribendi.

Praecedens ergo consideratio in lucem ponit exclusivitatem potestatis qua hac in re gaudet Summus Pontifex, et omnimodam necessitatem delegationis pontificiae ut clericus inferior possit ea quae sunt ordinis episcopalis exercere. Ita enim requiritur talis delegatio ut nequidem per consuetudinem immemoriam suppleri possit.

## E — CONCLUSIONES GENERALES

Doctrina auctorum hucusque exposita breviter reassumi potest conclusionibus sequentibus :

1) Quoad delegabilitatem magna habetur differentia inter potestatem ordinis et illam iurisdictionis. Haec differentia a Gregorio IX ita exprimitur relate ad potestatem episcopalem : « licet episcopus committere valeat quae iurisdictionis existunt, quae ordinis tamen episcopalis sunt non potest inferioris gradus clericis demandare ». <sup>92</sup>

2) Ex hac ab auctoribus alia deducitur regula generalior : « ea quae sunt alicuius ordinis non possunt delegari alicui non habenti illum ordinem ». <sup>93</sup>

3) Praedicta regula valet de omnibus clericis Papa inferioribus ; nullus enim clericus, quamvis iurisdictione etiam episcopali gaudeat, delegare potest clericis inferioris gradus illam ordinis potestatem quae ipsi competit vi ordinationis.

4) Hoc valet etiam de potestate quae ex solo iure ecclesiastico alicui ordini adnectitur. Auctores enim regulam applicant etiam potestati consecrandi ecclesias, quae iuxta omnes est iuris mere ecclesiastici.

5) Ratio quare potestas ordinis delegari nequit invenitur in hoc quod haec potestas per ritum quemdam consecratorium confertur et non

<sup>92</sup> c. 9, X, III, 40.

<sup>93</sup> PANORMITANUS, *Super Quinque Libros Decretalium*, c. 9, X, III, 40.

« per nudam voluntatem » sicut iurisdictio. Insuper distributio hierarchiae ordinis in varios gradus, singulos cum propria potestate, pendet a iure constitutionali Ecclesiae, quod funditus subverteretur si singuli clerici propriam ordinis potestatem possent clericis inferioris gradus indiscriminatim committere.

6) Vi tamen plenitudinis potestatis quae ipsi soli in Ecclesia competit, Summo Pontifici hac in re agnoscendae sunt speciales facultates, Ipse enim « potest quaedam quae sunt superiorum ordinum committere quibusdam inferioribus ». <sup>94</sup> Haec potestas, quae *discretionalis* vocari potest, iuxta omnes exclusive ad Papam pertinet, ita quidem ut nullus inferior possit huiusmodi delegationem facere absque facultate a Papa accepta.

7) Facultas delegandi potestatem ordinis ita exclusive ad Papam pertinet ut nequidem per consuetudinem centenariam aut immemorabilem praescribi possit. Quare consuetudines contrariae non sunt nisi corruptelae iuris.

8) Quibus omnibus bene perspectis, possumus nunc notionem *delegationis* potestatis ordinis ad mentem auctorum antiquorum pressius definire. Ex comparatione quam instituunt inter potestatem ordinis et illam iurisditionis quantum ad delegabilitatem luculenter constat quod loquuntur de delegatione ipsius potestatis ordinis et non solum de delegatione exercitii liciti eiusdem. Potestatem ordinis proprie delegare pro ipsis significat potestatem alicui ordini adnexam et ad validitatem alicujus actus requisitam committere alicui qui hoc ordine non est insignitus. Haec delegatio proprie dicta a solo Summo Pontifice fieri potest. Loquuntur etiam de delegatione in sensu latiori seu improprie quae aequivalet *licentiae* potestatem ordinis iam per ordinationem habitam licite exercendi. Haec fieri potest etiam ab Episcopo, sed tunc non agitur de vera et propria delegatione.

Ex hoc sequitur quod *delegata* in sensu proprio illa sola ordinis potestas dici debet quae a Papa confertur absque ritu ordinationis. Unde e converso *ordinaria* dici debet illa sola ordinis potestas quae alicui competit ratione ordinationis receptae. Sic sequentem habemus, iuxta antiquos auctores, potestatis ordinis divisionem :

---

<sup>94</sup> S. THOMAS, *Summa Theol.* III, 72, 11.



Potestas ordinis } Ordinaria – quae per ritum ordinationis confertur  
 } Delegata – quae a Summo Pontifice absque ritu ordinationis confertur.

Termini ergo *ordinaria* et *delegata* non possunt eodem sensu potestati ordinis et potestati iurisdictionis applicari. *Ordinaria* dicitur iurisdictione quae ipso iure adnexa est officio; *delegata* vero quae commissa est personae. Quando autem de ordinis potestate agitur, potestas delegata (in sensu supra explicato) potest esse simul iure adnexa officio. Nam Summus Pontifex potest potestatem ordinis delegare seu absque ritu ordinationis conferre duplici modo: vel eam ipso iure adnectendo alicui officio vel eam directe committendo personae. In priori casu habetur delegatio quae *a iure* dici potest, in altero vero delegatio *ab homine*. Sic ergo compleri potest schema supra expositum:

Potestas ordinis } Ordinaria  
 } Delegata } a iure  
 } } ab homine

Delegatio proprie dicta dicitur tantummodo relate ad illam ordinis potestatem quae ad validitatem actus requiritur, in ordine, scilicet, ad facultatem sacramenta et sacramentalia valide administranda.\*

FR. FINIANUS MONAHAN A REGINA CARMELI. O.C.D.

---

\* Hoc argumentum, praesertim quod ad extensionem specialis potestatis S. Pontificis attinet, fusius enucleabitur D. f. in periodico nostro fasciculis proxime futuris.